S. P.

Gratiam & pacem à Deo per Christum. Amen. Cùm vere dictum sit à rege sapientissimo Calumnijs frangi cor etiam sapientis, ego quidem hoc tempore, de me facile id dictum sumo, Vir ornatissime. Facilius enim quosuis in corpore cruciatus perferrem, atque immites & inhumanos nostratium in me clamores, quibus eo quod vestrae ecclesiae meam opellam addixerim, à veritate coelestis doctrinae penitus defecisse videor. Sed consolatur me in grauissimis hisce doloribus, quos ob sycophanticam et venenatam quorundam mordacitatem ~~quorundam~~ non pio iustitia bonae conscientiae, murusque mihi, iuxta Horatianum illud, aheneus est, Nil conscire sibi nulla pallescere culpa. Cùm enim idem corpus doctrinae, quae Dei beneficio in ecclesijs ab idolomania pontificia repurgatis sonat, sacra videlicet biblia, confessionem quae Augustana dicitur, Lutheri catechesin vos amplecti dixeritis, non video quid tantopere à vestra ecclesia me absterreat, neque me mouebunt facile, praepropera nostrorum iudicia, & censurae, quas lite adhuc pendente & causa nondum penitus discussa, intrepido animo ferunt, & suis non assentientes mox sentent, ijs tanquam delphicis oraculis, magna credulitate accusant & damnant. Videat enim tua praestantia, quid turbarum, dum fama de meo ad vos abitu increbuit, apud nostrates motum sit. Omnes concionatores non tam in me quam socerum meum, quem non modo consiliorum participem, sed & profectionis meae hortatorem, & suasorem suspicantur,

inplacabili excandescentes ira, eum grauissime, & in ipsorum
collegio, & dein coram senatu, accusant, ut qui nostram
Bremensium partes tueatur, & de mota apud nos seditione
nondum certo & liquido constare dixerit, nihilque ad nos
suscipiendi itineris, suasor exstiterit. Quid multis? Cum
enim ex ipso praesente multo apertius vestra cognoscere
praestantia, cum se sycophantice & perfide, undique
collectis accusationum capitibus, apud senatum deferri
& inter se suosque inuidos firmam posse communionem
& animorum beneuolentiam rursus coalescere desperaret,
sponte officio & docendi munere se abdicat.

Hanc ego rem, qua nihil magis insperato unquam mihi
cum intellexissem, quid potui aliud charissimo meo socero
suadere, quam quod ille antea mihi, quodque vestra praestantia
ut cum ipso agerem, a me iam discessuro petierat ...
rum ad nos ut pedem ferret, neque apud nos receptum
habiturum diffideret. Sic igitur non tam animo in
vos propenso & beneuolo, ut tamen est eum maxime,
quam vestro mecum communicato & habito sermone,
nos iter ingreditur. Cum ut vobis etiam atque etiam
commendem, & sanguinis naturalis, qua sum erga ipsum,
& ecclesiae vestrae conditio, quae talem virum maxime
requirere videtur, efficit: Sed quibus verbis eum ...
nunc commendem non reperio, cum antea vestrae
praestantiae sit commendatissimus, atque res ipsa, eius doctrinam
& eruditionem, alacrem inprimis in docendo industriam
facile sit comprobatura. Unde etiam fit, ut mi...

dubitem, eius adventum vestris oculis gratum, ecclesiae vero vestrae, seu potius iam nostrae, perutilem atque in Christo salutarem fore, neque existimem pro eius receptione meas preces aut intercessionem requiri. Siquid tamen meae vos preces movere poterunt, imo si ecclesiae status, quae imminente undique pestis motu, aliisque periculis, bonos viros suspirat, vobis ob oculos versatur, nunquam occasionem ad vos pertrahendi hunc virum negligetis, quod ne faciatis, vos maxime ita modestissime oro. Aeternus Deus, pater domini nostri Iesu Christi hanc migrationem meam, meique charissimi soceri, ad nominis sui gloriam, incrementum ecclesiae suae concussae & afflictae, animulae vero nostrae perpetuam incolumitatem dirigat & provehat, nosque σκεύη ἐλέους & organa salutaria suae ecclesiae faciat. Meam profectionem quanta possum celeritate urgeo, sed negotiis quibusdam cum familia transigendis impeditus, non potui ante nonas Aprilis Brunsviga discedere sed nihilominus fore spero, ut ad 11 Calend. Maii apud vos compaream. Deus meas itiones crebras & multis invisas quam benignissime fortunet. Valeat vestra praestantia foelicissime. Datae Bruns. pridie nonas Aprilis

Vestrae praestantiae
observantissimus Andreas Ditmarus
artium & philosophiae Magister.

Clariſsimo atq ornatiſsimo Viro doct.

atq prudentia ſingulari prædito

ad Senatori Danieli à Bürne

reip. Bremenſis primario, pat

amico ſumma obſervantia c.